

Illustrissime et Reverendissime Domine

1168

Litteras vestras accepimus, quibus nos certiores redditis dominum nostrum Papam, maturo primum cum procuratoribus generalibus sub patris nostri Benedicti magisterio militantium habito consilio, velle propediem breviarium in lucem edi; quod quoad fieri potest ad breviarii Romani normam et usum accedat, et quod omnibus monachis dictarum congregationum commune sit. Negotium sane non minus iustum quàm necessarium et à nobis sepius desideratum et expectatum. Sed cum rem tanti ponderis non solum de die in diem, et de anno in annum prola tam, sed etiam omnium sententia desperatam animadverteremus, opportuno remedio breviarium nostrum vetus emendari et secundum breviarii Romani formam restaurari et statim proelo subdi, ad nostrae provinciae commodum, patrum nostrorum fultus opinione praecepi. Quare an illud breviarium, de quo scribitis, nobis etiam cum aliis commune esse possit penitus ignoro. Nam cum multorum laborum et pecuniarum dispendio, quomodo posthac sumptus factos maximos in comparandis editionibus novis monasteriorum nostrorum inopia poterit? Sed et quid nobis prodibunt maxima illa volumina quae penes nos sunt, et in quibus Antiphonae, Responsoria et alia quae ad Dei laudes decantandas pertinent continentur? Illa tanto labore et studio a nostris praedecessoribus sunt elaborata et comparata ut vix ac ne vix quidam talia reperiri possint. Sed etiam quomodo posthabitis sanctorum nostrorum officiis, aliarum regionum sanctos invocare poterimus? Divi Benedicti translationem, quam Cassinenses et ultramontani monachi explodunt et inficiantur, per octo dies solenni ritu quotannis in mense Iulio una cum omnibus citramontanis monachis et pene omnibus ecclesiis cathedralibus veneramur; eo quod apud nos in agro Aurelianensi sancti patris ossa maximo cum hominum concursu et honore asserventur. Beatae Mariae Virginis visitationem, nec non beati Martini festum, cum solemnibus

/ octavis concelebramus; et alia multa particulari et pia traditio-
ne observamus, quae in medium proferre superfluum videtur, cum ea
facillime ex nostro novo breviario, quod vobis mittimus, dignosci
possint. Mittimus autem ut Ill^{ma} Dominatio Vestra videat, iudicet
5 et quid de eo sentiat, et num eo uti posthac possimus libenter ap-
eriat et rescribat. Verum enimvero ingenue fateor, quod si Summus
Pontifex auctoritate qua fungitur, omnibus Sancti Benedicti mona-
chis praecipiat ut dicto breviario utantur, nos confestim postha-
citis expensis et rationibus quibuscumque illius mandatis obtem-
10 peraturos; cum nefas sit Coelestinos, praecipue vero Gallos, coe-
lestem in terris patrem commorantem non revereri et ei ad nutum
non obedire. Vestram interim Ill^{mam} Dominationem bene valere per-
optamus.

Datum Parisiis in monasterio Coelestinorum die 24^a Aprilis 1612.

15 Vestrae Ill^{mae} et Rev^{mae} Dominationis humilimus et obsequen-
tissimus orator et filius.

Claudius de Marseilles Coelestinorum minimus.

Illustrissimo ac Rev^{mo} D. D^{no} Card^{li} Bellarmino Coelestinorum
protectori dig^{ssimo} (cachet)

Romae.

20